



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 2. Aliæ Congregationes circa residentiam, & institutionem Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

posuit, Pastores teneri ex juris divini præcepto residere: quam in rem citavit S. Athanasium in quadam Epistola ad Episcopos Sardiniae, ubi Sanctus hic Pater ait, quod ne paulisper quidem abs necessitate abesse fas sit, & tamdiu Episcopi teneantur residere, quamdiu oves egent præsentia pastoris, fere autem semper egere censeantur: porro die Dominica tertia Januarii nonnisi tertia post meridiem hora celebrata fuit congregatio, in qua perorabant Petrus Faunus Costaccarius Aquensis, & Joannes Carolus Bovius, Ostunensis Episcopus, quorum primus accedebat sententiæ eorum, qui juris divini esse residentiam tuentur, atque in hujus opinionis firmitatem multos auctores allegabat, inter illos vero præcipue Innocentium III. Papam, qui idipsum in quodam decreto asseruit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

§. II.

*Aliæ Congregationes circa residentiam,
& institutionem Episcoporum.*

Postea Hugo Boncompagnus, Episcopus Veltanus, prolixius differuit, ut *Nicol. Psal. l. c.* probaret, Episcopo non licere per noctem abesse a sua Diœcesi sine Superioris licentia: Bernardinus vero Delbene patria Florentinus, Episcopus Neumaufensis pronuntiabat, sententiam,

A 2

quæ

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

quæ residentiam ex juris divini necessitate præceptam asserit, adeo non pietati repugnare, ut etiam illam proponere utile videatur: postea vero fusius excurrebat in alios abusus, quos tollendi sollicitudo præcipue Patres occuparet. Post hunc Joannes de Quignones natione Hispanus, Episcopus Calaguritanus proposuit, contra hæc corruptelas nullum magis præsentaneum esse remedium, quam statuere residentiam juris esse divini, & lege divina Episcopos ad residentiam teneri.

Feria secunda alius habebatur Patrum conventus, in quo Itali quidam Canonum Doctores satis docte suas sententias promebant, & quinta Januarii die feria tertia pridie ante Festum trium SS. Regum vesperi Virodunensis Episcopus indicta congregatione jussu Cardinalis Lotharingii Archipræsulem Granatensem, & Episcopum Segobiensem adiit, ut eis exhiberet quemdam Canonem, in hunc, qui sequitur, modum.

„Si quis dixerit, Episcopos a Romano Pontifice constitutos, non esse positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, neque Presbyteris esse majores, anathema sit. „

Eadem die vespere nuntiatum est Synodo, quod Galliarum Rex prope Drocium de Principe Condæo, ejusque fautor

fautoribus, qui Hugonottos tuebantur, Sæcul. XVI.
A.C. 1563.
victoriam reportasset. Initum erat
hoc prælium die vigesima Decembris
Anno Domini millesimo quingentesimo
sexagesimo secundo, ad cuius initium
palma inclinare videbatur ad Catholi-
corum hostes; verum illorum timor
breui in lætitiã fuit mutatus, cum vi-
ctoria penes orthodoxos sine contro-
versia staret, ac Condæo Principe ca-
pto tota ejus factio in fugam agere-
tur, octo millibus ferme utrinque desi-
deratis.

§. III.

*Franciæ Oratorum postulata Legatis
proposita.*

Cum Franciæ Oratores jam tertia Ja-
nuarii die sui Regis postulata ad Sy-
nodum misissent, Legati altera die
quarta ejusdem Mensis Cardinalem Lo-
tharingium adibant, ut hæc capita dis-
cuterent, ac cum eo desuper confer-
rent. Inter alia Legati, an Oratores ex
ejus sententia omnia hæc postulata pro-
posuissent, ab eo sciscitabantur, & postea
eum rogabant, ne eadem divulgaren-
tur, donec de mente Pontificis certio-
res fierent, cum ipsemet promisisset, quod
nec per se, nec per Oratores in Synodo
quicquam proponere vellet, priusquam
desuper Curia Romana notitiam acce-
pisset.

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 19. cap. II.
n. I.*